

Disputatio medica inauguralis, de novitatibus medicis in genere / [Johann Michael Glaschke].

Contributors

Glaschke, Johann Michael.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Litt. Chr. Henckelii, [1704]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ehkqc8jm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
 De
**NOVITATIBUS
 MEDICIS IN GENERE,**

Quam.

Alma Regia & Electorali Fridericiana,
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
N. FRIDERICO WILHELMO,
 REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
 BRANDENBURGICI HEREDE
 &c. &c.

X DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
 SUB PRÆSIDIO

N. GEORGII ERNESTI STAHL,
 MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
 h. t. FACULT. DECANI

On. Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantiae cultu prosequendi,
PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, & Privilegia
 DOCTORALIA adipiscendi,

ad diem Junij Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI
publice ventilandam proponit,

JOHANNES MICHAEL GLASCHKE,
 Reppena Neo-Marchicus.

и създала
и създала



PROOEMIUM.



Rudenter monet Hippocrates , quamdiu omnia in illo statu permanent , sub quo Medicus remedium aliquod aut medicationem præscribere necessarium judicaverit , nihil mutandum esse de consilio aut remedio . Salutaris profecto semper est constantia in consilio , nempe bono , utpote à quo non possis digredi nisi ad malum : Si vero ad melius & optimum progressum dari arguteris , præstiterit certe statim ab initio optimum sectari : certe enim etiam acceptance non plane grammatice captiosa , ordinarie per τὸ bonum magis intelligi solet , quod maxime tale sit . Licet autem propter magnam imbecillitatem humani ingenii præcipue per individua , iniqvum & non ferendum videatur , posteriores cogitationes , siquidem illæ prioribus meliores sint (quod minime omnium semper contingit) intercludere , & ab hominibus , tanto magis autem ab individuali antiqua assuetudine ad crudiores primas volutationes assuetis , exigere , ut nihil pœnitendum admittant ; modo negotium non sit nimium simplex , v.gr. an unum & plura idem valeant :

in eiusmodi tamen negotiis, quæ & propria sua dignitate judicium vigilantius poscunt, & plurium judicum pensitationem subire intelliguntur, nemo facile consenserit, perpetuis veluti fluctuationibus ita indulgendum esse; ut, si nihil solidi circa tales res decernatur, nemini e tanto numero illud aliquo jure exprobrari justum & æqvum sit. Non excurremus in varia hominum ardua negotia, postquam certe domi est, quod perpendamus; in Medicina inquam nostra, jure meritoque exigi possit, ut illa à tot seculis, sub tot, immenso certe numero, quotidianis experimentis, & tanta Medicorum nomen mordicus tuentium vilitate, quicquid in his rebus usquam verum subesse possit, vel universim jam solidissime deprehensum atque stabilitum esse, vel certe ad minimum, bonâ ex parte, aut profecto aliquâ saltem ex parte ita penitus firmiter statuminatum haberetur, ut l nullum, vel certe nonnisi exiguum, circa tales res ad minimum aliquâ restaret dubium, aut qualiscunque defectus. Sane vero per plura præterita secula visa sibi est mortalitas hanc certitudinem assecuta esse; unde ad unam formulam constanter & sententias suas & operationes exsequta est. Sicut autem etiam in errore aliqua servari potest constantia, tanto magis autem plurium pertinaci conspiratione aliis libertas eripi, tum ad commonstrandos, tum ad corrigendos illos errores, ita valuit hoc etiam in Medico negotio: tanto magis cum odiosa hominum turba, ut aliarum omnium rerum, ita physicæ etiam, & per illa Medicinæ censuram sibi sumeret, & in obloquentes non mitius quam per anathema grassaretur. Venit tempus, quo hæc usurpatio dominii impotentibus dominis eriperetur. Mirum profecto ultimam omnium

omnium fuisse Medicinam, quæ arcanam legem pristini imperii diutissime omnium servaret , cum tamen Medicis passim imputatum fuisset, quod illi legum istarum vinculum minus omnibus aliis revererentur. Erat autem arcana illa lex (la Maxime du Clergé) thesibus Aristotelico-Ecclesiasticis conformia credere, aut ad minimum profiteri. Unde factum est, ut facies doctrinæ Medicæ nihil reformata, propemodum sesqui seculo maneret eadem , qualis sub illa lege fuerat, hâc ipsa jamdum antiquatâ. Fecerat quidem impetum Paracelsus, sed rectissime in illum dici poterat (& vulgo evenit in consiliis mortalium) quod Plato Diogeni dixisse perhibetur. Invitaverat Plato cum aliis hospitibus Diogenem; hic adueniens munditiem Platonis, ad stragula usque purpurata lectis imposita deridens , minus mundis pedibus suis inscendens, adjiciebat ad reliquos hospites conversus, calco fastum Platonis, cui non inepit Plato, calcas, ait, sed alio fastu. Ab annis autem triginta ad quinquaginta cœpit hæc etiam pertinacia , antiqua sanctissime habendi , labascere ; sensim sensimque labefactata est, tandem violata, imo direpta. Inundavit hinc libertas philosophandi. Distinguendum est inter philosophiam & philasophiam; & cavendum ne libertas philosophandi specioso vocabulo removilissimam flagitet, libertatem infrunitam dissentiendo: quicquid per somnia visum sit, non saltem proferendi, sed etiam omnibus aliis præmonstrationibus præferendi; has autem omnes per illam libertatem, non solum negligendi sed contemnendi , imo condemnandi. Sed non hic est locus monita, nedum præcepta formandi. Id unum considerandum nobis sumimus, quid de NOVIS MEDICATIONIBUS ET REMEDIIS secundum sum-

ma genera merito monendum videatur, imo, ne nobis hic aliquid imputari possit, quid dubitandum. Specimen enim inaugurale edere jussus, absit ut videri gestiam, quemquam aliquid docere. Quamlibet enim non plane ita à subselliis Doctorum recens consurrexi, semper tamen illud modestiæ pro regula mihi propono, ut disce-re quam docere malim. Interim cum tam familiare sit hodie DOCTORUM nomen neque sane mihi vitio ver-tendum esset, si in specimine meo proferrem, quibus no-men illud promererri intelligi possim. Et sane tanto magis convenerit proposito novum doctorem futurum nova, aut de novis docere seu differere.

Deum autem T.O.M. supplex veneror, velit pa-ternâ suâ benedictione cœptis nostris ita clementissime adesse, ut illa feliciter succedant, & utiliter cedant.

§. I.

Nam esse veritatem, & illam quidem circa res naturales ab ipsa harum prima productione fir-mam & immutabilem, nemo credo dubitaverit, qui paulo tranquilliore pensatione ani-mum his rebus adverterit. Ita quidem eo ipso nihil novi circa veritatem hanc expectan-dum esse, pariter agnoverit; circa veritatem inquam realem, prout in ipsis rebus fundatur. Bene vero circa manifestatio-nem ejus, ut publice quoque dilucescat & innotescat. Ubi quidem temporum ut loquuntur injuria, an hominum incu-ria, subinde factum esse constat, ut quæ per se antiquissima es-sent, nova fierent aut viderentur, vel ipsius novi mundi exemplo.

§. II. At vero in rebus ita utilibus, ut etiam necessariæ appellari mereantur, aliter fieri debere, nemo dubitaverit. Sed ut alia omittamus, quid dicemus de Medicina nostra, in-qua

qua ab annis non multis tanta novitatis fœcunditas propullavit, ut meritissimo jure mirum videri debeat, quod Antiquitas rerum suarum in hoc genere ita summe negligens fuerit, ut quæcunque tantum illa circa medica negotia observasse aut consuluisse cordi habuerit, omnia antiquanda, & novis inventionibus in melius vertenda viderentur.

§. III. Quamvis enim antiquarum rerum quantumcunque curiosos minime fugiat aut fallat, quod etiam *in novitatibus Medicis modernis*, ignorantia & rerum & acceptationum antiquarum hinc inde multam partem habeat; tamen non magis etiam negari potest, quod aliquid revera novi etiam circa antiquiores illas res subinde ita manifesto observetur, ut ab antiquitate omni modo discrepet. Majoris quam nostrum possit institutum, laboris foret, minutatim hujusmodi novas res medicas per vestigare, unde non solum pauciores, sed tamen potiores inde excerpere nobis sufficiet: Sed nec ita quoque potiores omnes, ut in re per se intricata, nihil interrupto filo tenendo nos adstringere audeamus, sed solum insigniores perlustrare suscipiamus.

§. IV. Innovatio quæ omnium maxime perplexos reddere possit animos, occurrit hinc inde, prioribus nostris temporibus, circa ipsam rerum immutabilium historiam, morborum inquam veras exquisitas delineationes, quomodo illi ipso facto se se gerere atque sistere soleant, ubi profecto jure meritoque scrupulum injicit, quod historiæ hujus per mille quingentos plus minus annos, constans æqualitas apud omnes medicos scriptores occurrat; cum hodie vix usquam relatio aliqua ita integra offeratur, quin vel omissione quarundam vel additione, aut præfiguratione nova insolitarum circumstantiarum, omni modo novi quiddam sistat. Ita v. g. novum profecto & inauditum dicit, qui sub maximo febrium calore sudorem erumpere solere assleverat: qui in hecticæ febre Urinas valde tintatas tanquam pathognomicum signum producit: qui sudores uberes spontaneos, non tam pro ultimo hecticæ in mortem

tem fatiscentis, & accidentalí quidem, adeoque individuali symptomate recenset, sed pro signo Hecticæ, adeoque lentes febres incommode tractatis aliis, etiam intermittentibus, vestigia legentes, & si modo recte intelligantur, atque tractentur, prorsus innoxias, pro pertinacissimis illis hecticis, impetrare declarat, & aliis obtrudit, simulque viam substernit introducendis novis illis relationibus & promissionibus, quomodo febris hectica jam ad colliquativos sudores prolapsa, pulcherri-
me curata sit &c.

§. V. Sane vero hæc novitas ita nobis corruptit veram morborum historiam, ut, pro illa sincera obtinenda, nomenclatore novorum scriptorum, qui illam bona fide tractaverit, opus esset. Interim in genere de his rebus differendo, minime dubitamus, rotunde sententiam nostram profiteri, quod antiquiores, imo antiquissimæ quæ prostant ab ipso Galeni tempore, morborum historiæ, si cum recentibus conferantur, nimio plus veritatis & constantis peritæque relationis nobis sistant, quam pleræque recentiores.

§. VI. Mirum inde non est, si in morbis etiam admodum familiariter obviis ingens disparitas descriptionis historiæ occurrat. Exemplo potest esse febrium cohors, de quibus quis apud varios recentiores census referatur, odiosum sit sigillatim proferre testimonia: illud in universum certissimum est, quod apud neminem unum quicquam solidi, & quod experientiæ respondeat, circa hoc subiectum proferatur, nisi ille absolute antiquos harum rerum scriptores pressis vestigiis sequatur, & non nisi diversis verbis, idem cum illis loquatur.

§. VII. Apud quem enim Recentiorum classicum scriptorem, aut fœcundissimarum illarum novarum theoriarum Auctorem, invenias veram discretionem febris ardentis, secundam veram sui historiam, ab aliis acutis? & novarum profecto illarum (non existentia, sed peritia) febrium biliosarum, quatenus a cholericis aut *Kavσωδεσι* differre deberet?

Imo

Imo ausim interrogare, apud quem nam horum nova spirantium saltem veram historicam ideam febrium continuarum in genere à continentibus differentium quærere & invenire sit integrum?

§. VIII. Interim facilius præter omnem experientiam audias, imo videas, febres malignas, & ipsas imprimis pestilentes ita describi, ut credendum esset, nullas alias tantâ commotionum vehementiâ, atque violentiâ ferocire, cum ex adverso nulla alia febris moderatius, tranquillus & modestius incedat aut procedat, quam hæ, quo magis quidem propriam suam indolem legitime sequuntur, neque individualibus accidentalibus anomaliis a propria sua indole ad aliam communiorum in transversum rapiuntur.

§. IX. Cujusmodi indolis *novitates* propterea certe nullum bonum effectum habere possunt in arte Medica, quoniam cuivis obvium est, quod *Natura* rerum se se minime accommodet nostris conceptibus & opinionibus, sed nos potius nostris observationibus illam sequi quovis modo necesse habeamus. Unde quicquid nos circa veram v. g. morborum historiam, veras nempe illorum circumstantias, symptomata & phœnomina propria & perpetua recte observanda deficimus, fieri hinc aliter non potest, quin deinde in comparandis hisce reb⁹, & hinc eliciendo vero illarum genio, tantundem aberremus: & per consequens etiam errorem hunc necessario in ipsam methodum medendi transferamus, dum aliter quam vere se se habet præfigurato morbo, ejusque genio, necesse est alias etiam quam veras indicationes & medicationes posthac applicari atque destinari.

§. X. Nondum tempus est dicendi de illa *Novitate*, quâ velut per rationem à priori morbis medicationes invenire, hodie hinc inde laboratur: cum Antiquiores etiam experientiam magnopere in subsidium vocaverint, & veram morbi indolem, etiam à juvantibus & nocentibus colligere cordi habuerint.

erint. Manebimus adhuc in via, ut prius de *Novitatibus pathologicis* aliqua notemus.

§. XI. Quicquid imputatur Veteribus, eripi certe ipsis non potest, quod motuum secretorum & excretorum diligentissimi aestimatores fuerint, & longe minus activæ efficaciam materiarum morbidarum directe tribuerint, quam heteroclitis illarum motibus, & insufficienti exonerationi. Patet hoc satis ex eo, quod ubique potius per imminutionem causæ antecedentis, & eductionem causæ continentis, mederi cordi habuerint, quam per nudas humorum male dispositorum alterationes seu correctiones.

§. XII. At plane diversà vià incedere suscepit *Nova Pathologia*. Hæc enim unice materiarum innumeris malis modificationibus omnem culpam imputat, adeoque nihil nisi has invertere, obtundere, obvolvere, subigere, compingere, jam incrassare jam attenuare &c. in animo habet: Sensum vero harum molestiarum, quæ ab his materiis corpori incutiuntur, ita, mulcere, mitigare, lenire, imo sopire, ut motus extraordinarii (quamlibet solemniter ad molestarum materiarum maturas eliminationes potius tendentes, quam ex opinione pure morbiæ, irritationi imputandi) vel præoccupentur, vel coorti refrænentur.

§. XIII. Novum profecto est, & non magis *veteri theorie* quam Naturæ veritati adversum & incognitum, quod in corpore animali tot fermentationes, turgescentiæ, spumescentiæ & imprimis acescentiæ, mirificò numerò gliscant & subinde emicent: cum illis, qui non cerebrinam, sed realem & experimentalem, & verè Physico-mechanicam cognitionem, fermentationis intelligunt, satis simpliciter ac evidenter notum sit, quod corpus animale non solum ab aliis, quam putredinosis fermentationibus ipsa sui mixtione alienum sit: sed etiam salinas, aciditati propinquiores alterationes, immensum quantum facilius & moderatius ferat, & vix levia quædam incommoda inde persentiscat, quam putredinosas sinceriores cor-

corruptiones, non solum citissime grassantes, sed etiam damnna nunquam resarcienda, & veram privationem vitæ, quacunque pertigerunt, inferentes. Nisi quidem etiam Spha-
celum i. e. putrefactionem, cum *Muyso* & si qui sunt alii hujus furfuris, aciditati grassanti adscribere velint: siquidem etiam illud novum est, alba nigris, nigra albis æquiparare.

§. XIV. Interim & illud novum est & recentissimo-
rum morum, genesin & plenam *νοσησαν* efficaciam salium ma-
gni numeri, pro causis morborum amplecti atque retinere;
interim fermentationes morbificas in corpore negare. Nem-
pe quoniam satis milleformium figurarum in aëre præsto est,
quæ per poros, certo tempore, certo modo conformatos, in
corpus insinuatæ ibidem effectus illos vellicandi, pungendi,
scindendi, imo alias poros obstruendi, ita edant, ut æther hoc
modo a libero suo aditu impeditus, tandem ad indignabundos
incursus, insultus, nifus &c. permoveatur, adeoq; varias tur-
bas agat & patiatur.

§. XV. An Vermes etiam antiqui sint? Non dubita-
mus; merito tamen de illis, qui ad novam Pathologiam per-
tinent animatam. Kircherus certe, ut inter mille reliquas
fabellas, & solitas illarum amplificationes, etiam phænomenon
illud Verminosæ putredinis aliquando observatum, solito mo-
re satis laboriosè exornavit: ita assensu *Langii* adhuc magis il-
lustratus est: videtur tamen *Novitas* illa jam maximam par-
iem iterum antiquata esse, aut certè Vermes hodiè magis dis-
imulari.

§. XVI. Recentioris *Novitatis* est Pathologia Mechanica
vtomatica, secundum quam corpus cum systemate spirula-
rum & rotularum quasi dentatarum confertur; in quarum
mmenso supposito numero nemo puto inficias iverit, nihil
nirum esse, si aliqua συζύγια, aut numerus ordo & situs den-
tarum rotularum facile vim pati possit. Sed puto neminem
acile fore, quin maximopere admiraturus sit, quod hæ labo-
rations adeo raro, vt infreueenter homines ægrotant, ali-

quam latefactationem experiantur: aut à quo tam citò imò quantumcunque tandem tarde, restituantur; Nisi quidem ab *Archæo fabro*.

§. XVII. Sub his rebus non poterat aliter fieri, quam ut novis acceptationibus & interpretamentis, adeo nulla ratio haberetur utilium imo necessariorum vitalium excretionum, & eo tendentium commotionum, ut illæ potius undiquaque pro nudis atque puris passivis symptomatibus morbidæ irritationis damnarentur, adeoque hinc inde cohibendæ, constringendæ, sopiendæ, judicarentur. Quid vero circa hoc negotium intra viginti, ad triginta annos non dictum est novi! cum etiam è cathedris docentium, & inter specimina artis Medicæ suprema, disertis verbis negari debuerit, quod motus critici, & consequenter Periodi typicæ febrium acutarum, quicquam aliud sint, quam figmenta hominum.

§. XVIII. Interim quoque solidè certè novum est, quod apud plerosque propioris ævi Medicos, imprimis post turbas ab *Helmontio*, *Sylvio*, *Tacbenio* leviter quidem satas, sed immanni fœcunditate post illos multiplicatas, talis confusio census atque tribuum morborum invaluit, ut nihil solemnius esset, quam omnibus omnia communia facere, & non solum nullam diuisionem subjectorum, sed etiam nullam communicationem atque conspirationem morborum, agnoscere:

§. XIX. Unde ingens oblivio morborum ætatum, temperam entorum, & consuetudinum, aliorumque animi pathematum peculiari dispositioni impendentium. Ignorantia profunda συγγνώμης ventilationum sanguinis, non solum spontanearum (quandoquidem & has pro passivo pathemate accufare ad novas res Medicas pertinet) sed etiam arbitrariarum artificialium, & moliminum seu motuum ad similes extonerationes iterum repetendas tendentium. Tanto magis autem incredulitas, quod à pristinis unius talis generis affectibus, succedente tempore transitus fieri possit & soleat ad quosdam

compares, in iisdem etiam, nedum diversis, regionib⁹ corporis.

§. XX. Unde quidem secundum hanc novam Pathologiam omnis generis morbi, omnis generis ætatibus, omnis generis corporibus, omnis generis temporibus, omnis generis animi morib⁹, pari periculo jugiter impendent: nisi quod Natura rerum experientiam contrariū doceat, commonstrando rem antiquissimam, sed vix ab ullo satis pensitatam, ab hac vero nova Pathologia, quantum cœlum à terra, alienam, nempe, quod singuli quilibet homines raris, & paucis (qui nempe non unius stirpis sint surculi, adeoque speciebus subalternis convenient) morbis corripi conservaverint.

§. XXI. Minime vero in novæ Pathologiæ commemo-
ratione præterire integrum est, late patentem illam hodier-
nam ditionem novi profecto quolibet intuitu morbi, SCOR-
BUTI. Quamvis enim *Scorb-Buyk* non sit novus mor-
bus, illa tamen explicatio, quæ à lustris non adeo multis ipsi
adhibetur, omni modo certe est nova. Propriissimè autem
nihil aliud verius denotat, hodierna Scorbuti appellatio, quam
Medicum intelligere quidem, quod patiens non recte valeat,
nescire autem propriè quā specie morbi laboret. Unde qui-
dem adhuc firma videtur, nuper etiam à D. D. Præside suppe-
ditata ætimologia vocis Scorbuti, nempe quod, cum Slavoni-
co idiomate *Scorb* absolute significet morbum; *Scorb-Buyk*
quidem recte, Ventris morbum, (Ileum hæmatiten Hippo-
cratis forte) designare possit: trunca vero illa latinizantium
formatio *Scorbut*, terminatione; quidem nihil, prima vero
Syllaba recte & ordine illud designet, quod volumus: Der
Patient sey frant; und fehle ihm unter vielen Dingen zum wenig-
sten eines/ und am gewiſſesten die Gesundheit.

§. XXII. Novissimum autem in Pathologia merito no-
minatur, quod tot novi morbi etiam in antiquissimis tribu-
bus, hodie, si non æque in doctrina Medica, certe tamen in
praxi clinica, audiantur. Exemplum præbere potest, si tres
vel quatuor Medici, imprimis non eadem hora, ad patientem

vocentur febre acutâ decubentem , & ab accidentalibus causis, accidentales anomalias sentientem. Ibi promptum est de genere & indole morbi nova audire , sed rariuscule bona.

§. XXIII. Interim ut in Physiologia non deneganda est laus sua, recentioribus quibusdam inventis, imprimis autem illis, quæ ad detegendam sanguinis circulationem magis directè profecerunt ; ita in Pathologia illi quoque non fraudandi sunt elogio, qui magnam affectuum præternaturalium partim verè talium, partim solum præter ordinem sanitatis evenientium, recte sub spasticorum motuum tribum redegerunt. At vero illi (& sane non parvus est numerus) qui has res non modo non melius excoluerunt, sed illis plane in contrariū sensum abusi sunt, nulla harum laudum justa eveniet participatio.

§. XXIV. Quod enim ē motu sanguinis circulari confecerint, quasi ad nullam partem corporis plus humoris pervenire possit, quam vasorum eo tendentium perpetua capacitas, & pulsus universim æqualis impulsus, inferat, profecto Nouitas erat, utilem illam circulationis sanguinis inventionem , nempe illius utilitatem, falsitate suâ superans. Quod autem omnes motus spastici, absolute atque pure pro passi- vis & morbidis haberentur , & directo effectui causæ morbidæ quâ talis , adscriberentur, nisi quidem magis, certe nihil quicquam minus, absconum, erat, & improvidæ novandi promptitudini adscribendum.

§. XXV. Ne nimis diu Pathologiæ inhæreamus, nempe juxta nostri instituti ductum (alias certe immensus foret campus) delibabimus etiam Therapeuticas Novitates. Therapia cum generaliter circa duo versetur, Alterationem & Evacuationem, præcipuum quidam Novitatis specimen edidit in stabiliendo alterandi & absolute corrigendi consilio , & illud omnibus evacuationibus dignitate æque ac efficaciâ longissimè præferendi commendatione : interim etiam circa evakuaciones tam in speciebus, quam in remediis, non pauca , & sane non trivialia immutavit.

§. XXVI.

§. XXVI. Nempe cum in Pathologia universam nocendi energiam imputaret Salinis excessibus aut defectibus, recte atque ordine subsumere sibi visa est, quod noxii illi efficiens non melius tolli atque inverti possint, quam si heteroclitia illa salia, vel per contraria obtundantur, vel per potentiora obruantur, adeoque quolibet modo suppositæ illæ discrasiae materiarum in corpore, nuda & directa correctio concilietur.

§. XXVII. Licet autem subsumtio hæc de reliquo satis firma videatur, si ante omnia præsuppositum ipsum sit verum, & insuper energia remedii satis ex amissim quadret, atq; satis faciat supposito νοσησι sapori sive sali: ita tamen juxta simplissimam naturalem considerationem adhuc magis profuturum utique esset, si materia illa, quæ demum operosius corrigi debet, potius directè & immediatè ē corpore ejiciatur, adeoque neque mora, neque qualicunque incertitudine correctionis, demum negotium faceſſere poffit.

§. XXVIII. Sane vero leges œconomiae animalis tanto magis posteriori huic instituto favent ac subsidio sunt, cum sine ullo artis subsidio, his legibus semper directe exonerando, corpus ab alienis atque noxiis rebus liberari consueverit; nec ibi quicquam spei aut subsidii collocetur in tentandis correctionibus. Unde quidem quotidiana hinc observatur antipraxia, inter has antiquissimas, & corporis œconomiae insitas, evacuandi potius intentiones ac inventiones, & illas novatorias purè corrigendi curiositates. Unde quidem nisi correctio illa exoneracioni potius velificetur, quam illam quocunque modo turbet, nedum impedit, paſſim videre eſt novos illos & antiquitus incognitos eventus, ut veltotus affectus directe ad insoli tum calamitosum exitum properet: vel ex uno malo leviori, & si recte processisset breviori, gravius & contumacius pullulet, imo non unum tale, sed fœcunda quædam graviorum malorum seges illic radices agat.

§. XXIX. Egregia, si tamen miserorum patientium fortunam

tunam excipias, harum rerum specimina exhibent nobis, tum hinc inde aliæ morborum species, tum imprimis febres. Ubi tam ex acutis per salia volatilia tractatis, quam ex intermittentibus, fortiore æstu molestis, per hæc eadem Salia, aut adstringentia suppressis, tumores hydropici, tabes hecticæ, imo pthisicæ, angustiæ & anxietates melancholicæ magis quam hypochondriacæ, & reliqua cachexia, generantur: nimiō abusu Absorbentium, ex acutis benignioribus, rarius intermittentes, nisi malæ fidei: facilius lentæ aut hecticæ, producuntur: familiariter autem in subjectis ante hac vegetoribus, anomalæ febres, typo quidem vagæ atque fluctuantes, duratione vero contumaces & rebelles, cooriuntur. Et hoc ipsum exemplis revera ita novis, ut antiqua quidem hujusmodi specimina longe rariora reperiantur.

§. XXX. Interim evacuationum ipsarum quoque non paucæ aut leves hodie Medicinam invaserunt Novitates. Vomitiones equidem quod attinet, ridiculum sit ad Helleborismum, Hippocratis, & illo sine dubio antiquorem, prouocare. Primo enim quis satis patienter audiat ad Hippocratis ævum pharmaciam & pharmaceuticam Therapiam extenderit? cum vix quisquam rerum medicarum æque atque monumentorum Hippocraticorum vel mediocriter intelligens, ignoret, quod tota Hippocratis doctrina magis occupetur in historia decursus & magis spontanei exitus morborum annotandâ, & jām sub relatione, jam sub porismatum observationibus formatorum Schemate, tradenda imo inculcanda, quam in concinnando systemate artificialis tractationis, & cuiuscunque alterius consilii, nisi quod unice istis spontaneis successibus & eventibus morborum, respondeat & subveniat.

§. XXXI. Neque vero hoc solum, sed absurdum sit necesse est Helleborismum nudis vomendi consiliis prætexere: cum vix Tyronem lateat, quod Helleborus non magis sursum quam simul deorsum evacuet, & insuper adhuc efficaciter (etiam sine evacuatione, parcissimâ dosi, nedum majori quâ simul

mal evacuat) alterandi: (de qua re prolixè Gesnerus in *Epist. suis de Oxymelite suo Helleborato.*)

§. XXXII. At vero Hippocratem etiam vel quoslibet ejus Antecessores aut posteros, ipsum etiam Helleborum, ita promiscuè, aut si mavis, ita specificè, tot & talibus affectibus, qualibus hodie vomitiones assignantur, adhibuisse, utilior forte, sane curiosior, sed puto etiam operosior, Novitas foret commonstrare. Certe ne illud quidem ineptum aut iners esset evolvere, quomodo & quam ob rem etiam propiores quilibet Hippocratis posteri, quin sectatores, Helleborismi laudes præmaturā quasi brevitate præterire magis quam percurrere obseruentur.

§. XXXIII. Proxima nec illa profecto exigua, Novitas est, quod, cum Veteres in sua Therapia veluti perpetua præparantia evacuationibus præmittere aut adjungere soliti, eò ipso ad minimum à posteriori perpetuam œconomia corporis methodum imitari faterentur, ut prius secretionibus operam navarent, quam nudis immediatis excretionibus locum esse confiderent; ita ex adverso nova methodus satis putat, ut ipsamet interpretatur, stimulum saltem ad excernendum adhibuisse, sive prædisposita sit materia, sive non sit. Nempe, quod quidem profecto hinc inde enormiter facere amat, cum undique, etiam hinc inde absolutissimè ἀτόπως, mechanicam in ore habeat, contra primam quasi literam Alphabeti mechanici offendit, non move, ubi non sit mobile.

§. XXXIV. Quousq; autem processit novandi verissimum cacoethes seu malus mos, ut hodie in omnibus Medicorum sermonum præambulis protestandum videatur, quod mechanicè omnia agantur. Ita certe vivi pervenimus, ut in renunciationibus legalibus legamus: Denen fundamentis Medicinæ, und principiis mechanicis gemäß. Rectissime certe sensisse videtur Aulus Gellius lib. XV. cap. 30. pluribus quidem verbis ē quibus tamen mitiora sunt: qui ab alio vitæ genere - - - ad disciplinas serius adeunt, si forte iisdem loquacitas adhæserit, fi-

unt in illarum ostentatione - - - inepti. Ita sane mihi
Præsidi videtur.

§. XXXV. Proxima hujus indolis Novitas est circa purgantia. Innititur hæc primò novæ etiam assertioni, quod purgantia in genere non aliter agant, quam intestina stimulando. Quo supposito afferitur convenientia omnium purgantium, ut nullo ipsorum selectu opus sit, nisi in quantum a ha forte vehementiora, pro re nata mitioribus posthabenda sint: de reliquo vero nullo selectu sit opus. Cœterum novum certe prorsus est audire in hoc maxime genere lepidas interpretationes, quomodo illa purgantia simpliciter stimulando agant, & tamen non sint simpliciter stimulantia; simpliciter ut salina stimulantia agant, & tamen pleraque & imprimis potentiora quælibet salina, hunc stimulum minime supplere possint: & quâ nam ratione purgantia per chirurgiam infusoriam immediate in sanguinem immissa, tamen omnes humores & vias ita stimulent, ut non aliorum, quam ad intestina, ē toto reliquo corpore, transmittantur, ut ibi ultimum suum stimulum purgandi tandem absolvere possint. Sed adhuc subtiliore Philosophia indiget, illud etiam mulieribus notum, quod purgans immediate in ventriculum & intestina fœminæ demissum, quæ infantem lactat, maximam partem, imo frequentissime, in totum efficaciam illam suam stimulandi depo- nat, seu dissimulet, & (magnetismo sine dubio peculiari, sive nisu) per totam massam humorum ad intestina infantis demum properet, & ibi stimulationem suam absolvat.

§. XXXVI. Nova etiam est directa illa laudatio, tanquam generali usu eximiæ profuturorum diureticorum, in primis in genere omnium. Cum tamen nullus nisi placidus horum usus, & placide, imo quasi tacite excretiones hujus census potius promovens quam provocans, constantem aliquem eximium usum præstet: præpostera vero administratione, non solum incommodis, sed omnino periculis inducendis subinde sufficiat.

§. XXXVII.

§. XXXVII. *Diaphoresis* quod concernit reliqua quidem ejus administratio non adeo æque *novationibus* hodie obnoxia videtur, nisi quantum ad morbos & tempora morborum, quibus magis aut minus commode præscribi solet, attinet. Ubi certe in febribus multiplex occurrit præpostera ordinatio, ut quod sub declinationem paroxysmorum fieri debebat, ipsis illorum initii destinetur: aut quod placidè & diuturniore administratione instituendum fuerat, illud brevi impetu perpetrandū suscipiatur. Sed cum hæc methodus etiam hoc ipso intuitu ab ipsa veteri Medicina, non plane aliena fuerit, non absolute illam imputabimus novæ, nisi quod bono jure ab hac exigi possit major perspicacia, postquam illam damnata veterum ignavia, maximopere præ se ferre gestit.

§. XXXVIII. *Peculiaris est Novitas, sudationes in distans per Sympathiam* ut vocant excitandi. Quamvis autem videri possit hæc novitas magis ad Pharmaciam, nimirum ad media provocandi sudorem pertinere, tamen palmarium omnino est offendiculum, cum hucusqne hanc artem non solum homines circumforanei & Medicinæ de reliquo ad stuporem ignari, sed prorsus illorum servi, ancillæ, & vetulæ culinariæ, præcipuâ confidentiâ tractaverint, quod, si quid etiam quo ad reliquum effectum veritatis in illa esset, inscitia tamen illa, sub necessaria opportunitate hanc excretionem provocandi, illam plerumque inutilem, non raro etiam periculofam redditura esset.

§. XXXIX. *Fontium Medicatorum* per varias evacuaciones jugiter operantium præscriptio, non æque perspicere licet, an apud *Antiquiores* eodem loca fuerit, quo apud *juniiores*. Quocunque tempore cœperit, certe virtuti & fidei, quæ maxime antiqua commendari solet, vix ad amissim quadrare poterit, quando vel inconsiderate & promiscue, omnibus affectibus destinatur, qui vel alia concinniore methodo tantundem opis experiri possent: vel pro ultimo subterfugio magis quam refugio usurpatur, ut quando omnia nostra tentamina irrita fuerunt, aut penitus illud *hemorrhousæ* fœminæ in

Evangelio appareat, quod omnis substantia insumpta fuerit, sero tandem patientes ad ista miracula Naturæ ablegantur. Novum autem etiam in hoc genere esse dubitari posset, nisi tam crebro hodie præ superioribus ævis contingenteret, quibuslibet novis & quantumcunque sapidis, interdum etiam insulsis scaturiginibus, inconditos communiter panegyricos scribere: cuius generis fabulas intra pauca lustra non ita paucas legere licuit. Encomia, quibus magnus numerus hominum talibus commendationibus deceptorum, ejusmodi encomiastas tandem ornant, vulgo quidem non imprimuntur, sed communiter vario acumine non carent.

§. XL. Omnimodo vero ad *novas therapias* referenda etiam est *curatio per transplantationes, Sympathias, Magnetismos,* in genere: si quidem de his apud antiquos adeo parum occurrit, ut non nisi per suspiciones, aliquid ipsis imputare quisquam audeat. Cœterum inter res admodum novas etiam censeri solent historiæ promiscuorum effectuum hujus Therapiæ.

§. XLI. Nempe novissimum utique est, observationes rariores, neque nisi sub specialissimis circumstantiis forte veras, non solum imprudenter ad quoslibet crassos generales usus destinare; sed etiam citra omnem experientiam, ut rem compertam atque certam, impudenter venditare. Interim tum in hoc genere, tum aliis aliquo certe usu, si modo recte distingverentur peculiares circumstantiæ à generalibus, profuturis, pessundatur etiam hic ipse, dum ineptis pollicitationibus, hinc inde non respondendo, tandem promiscue censoriam fabulorum incurront.

§. XLII. Ne vero nimium ex crescet noster census, quamvis certe in hoc genere plura adhuc monenda essent, transimus potius ad *nova medicamenta*. Diximus in præcedente classe, quod nova illa Methodus *alterando* potius, quam *evacuando*, corpori subveniendi, hodie multum in sole scere cœperit; mirum inde, nisi etiam medicamenta huic intentioni

tioni respondentia in usum traherentur. Sane vero adeſt numerosa talium farrago, quæ quovis modo materiæ potius subigendæ; quam excretioni promovendæ, directe destinantur.

§. XLIII. Sicut autem jam superius neque potuimus neque voluimus dissimulare, quod etiam veteres ab hoc conceptu minime immunes fuerint, adjecimus tamen mox ex ipsa indole atque veritate rei, quod illi nihilominus huic scopo nunquam ita absolute atque directe institerint, ut non in maximo honore habuerint observationem & peritam promotionem conaminatum Naturæ secretorum & excretorum, signa inquam atque tempora coctionum atque crisiū : ita certè apud ipsos nihil reperitur, sed merito unicè novæ pharmaciæ adscribitur, quicquid ad variè obtundendos atque enervandos satores & acores Salinos, hodie partim speculando, partim tentando, suscipi solet. Unde quidem nec absorbentia, neque præcipitantia, neque sub hac specie alcalia fixa aut volatilia, in veteri Medicina alicujus efficaciam peculiaris laude condecorata leguntur. Sicut etiam Spodium, calcem lotam, externis usibus magis subadstringentibus, adeoque siccantibus destinata legimus: tum C.C. usū : interno usū, etiam majore spe atque fiducia, quam insigni efficacia celebratum facile colliigere possumus.

§. XLIV. Quantumvis autem hodie quoque cum illis absorbentium formulis atque præparationibus variæ novitates perpetrantur; v. gr. cum ineptiis illis, C.C. coctum, & propterea sine igne philosophice calcinatum, appellatum, cuilibet alii osī longe anteponendo: ita certe inconsultius vix quicquam esse poterat, quam sub quibuslibet violentioribus ignis alterationibus, à qualibet inde revera demum nascente textura non solum idem, quod ab antiquo mixto expectare: Sed plane istius specificam efficaciam majorem exaltationem hinc sperare. Uti v. gr. à Spiritu & Sale volatili C. C. virtutes illæ alexipharmacæ, & quidem cumulatius expectantur, quas

hoc cornu in substantia exhibere, neminem hominum bonâ conscientiâ asseverare posse , constanter credimus. Unde quidem næniæ illæ quod totus cervus sit Alexipharmacus , in casu necessitatis miserrimam demonstrationem in re præsen- ti præbituræ essent.

§. XLV. Optandum certe sed non sperandum , ut in ejusmodi fabularum prima cunabula curiosius inquireretur, ut ad minimum hinc inde tandem innotesceret, quam frivo- lis narrationibus tot commenta tam confidenter superstrue- rentur. Sicut etiam ridiculum est magnæ tenuitati & fibra- rum defectui, in sangvine cervino adscribere, quod illè pro- pterea non concrescat ; cum sangvinis cervini concreti non minus duriter, quam cujuslibet alterius feri animalis non valde pinguis, frusta, quotidie inspicere liceat, librarum pon- dus æquantia. Sed magis arridet fabellis ludere.

§. XLVI. Inter nova medicamentorum genera , & im- primis sub absorbentium titulo, præcipuum locum sibi vendi- cat *Ferrum*. Quæ vero non novitates cum hoc concreto ab annis forte XXX.in re medica susceptæ visuntur? Ubi jam ape- rire, jam adstringere, jam resolvere , abstergere , jam stimula- re fingitur. Et sub his diversis imputationibus ita temere & promiscue ad diversos plane effectus adhibetur, ut etiam in- dies hinc evenientes pessimi effectus, hominibus irrationali ta- li præjudicio præoccupatis, non valeant persuadere , quod il- la quæ oculis suis vident, magis vera sint, quam quæ à commu- ni traditione audiverunt.

§. XLVII. Unde hodie quidem nihil novum est, sed bene antiquorum temporum intuitu, videre homines varios, & inter hos etiam tales, quibus per ætatis imprimis circum- stantias nihil tale metuendum fuerat , è febris intermit- tentibus aut lentis , aut plane continuis , per remedia Martia- lia male tractatis, œdemata, Hydropses , mortes incurrere. Ex obstipationibus majorem pertinaciam , & tandem parem catastrophen experiri : in macilentis quidem tabem & hecti- cam,

cam, in succulentis Hydropem, & utrinque tandem malo irreparabili mortem.

§. XLVIII. Sistit se autem in hoc si in ullo alio genere, inconsiderata illa fiducia in omnis generis præparata, eandem efficaciæ spem collocandi. Ita enim dum v. gr. in una etiam larga dosi *Tincturæ Martialis* per succum pomorum, non facile gr. i. Martis inesse potest, tribuitur huic par, nisi quidem major efficacia, quam *Limaturæ Martis* ad scrupulos etiam exhibendæ: imo pulverulentis etiam aliis *Martialibus Crocis*, quos neque potentia acida corrosiva attingunt, tribuitur aperiendi energia, non autem admittitur in animum, nedum ut ille sponte adverteretur, quod evidentissima directa operatio Martilium perpetuò sit adstrictio: accidentalis vero solum, & nunquam constanti & indubio eventu expectanda, qualiscunque vera apertio.

§. XLIV. Iterum nova tribus novorum medicamentorum constituta est, *Salium volat. urinos*. Quæ quidem alii etiam ita *seciora seu macra*, probant: alii vero *oleosa*, & quidem oleis acribus aromaticis imbuta præferunt. Utrique sanis hominibus, nisi immoderatioribus dosibus excedant, dampnum non facile afferunt: facilius autem ægrotantibus: aut sane nullum commodum conciliant. Febricitantibus impri- mis gravius æstuantibus, œdemata in hydropes proclivia, familiariter, & quasi per brevem manum, ita inducunt: in illis etiam, qui floridiore atque spongiosiore sunt corporis habitu, præsentaneas anxietates hoc modo in febribus acutis suscitant. Excretiones sangvineas inhibent ad minimum, aut si stunt, loco promotionis atque provocationis, qualem per effectum sangvinis attenuatorium, juxta communissimam illorum opinionem, præstare debebant.

§. L. Jam quo exemplo qvâve experientiâ niti debuerit illa inter novos Medicos recepta sententia, quod ejusmodi Salia v. gr. *Sal. C. C. & viperarum*, non solum in specie *alexipharmacos effectus* retinere debeant, sed etiam generaliori illi effe-

effectui, per diaphoresin expellendi, satisfacere soleant. Quod quidem cum legitime minime præstent, interim potius incommodis successibus hujusmodi secretionum & excretionum occasionem præbeant, commendandum erit magis circumspetæ posteritati, quo loco has novitates collocare deceat.

§. LI. *Mercurialium remediorum*, uti novus omnino est usus; siquidem duo secula, ad octodecim præcedentia comparata, certe tantæ vetustatis intuitu, non possunt Novitatis nomen adspernari: ita abusus etiam illorum temerarius, aut imperitus, res nova est. Certe enim multum hic peccari temeritate, quotidianis exemplis constat: interim non paucioribus etiam ante oculos est, quod imperitus usus & administratio, illic etiam, ubi locum habere possint & deberent, familiariter bonam spem subruat ac evertat.

§. LII. *Opii* etiam usus & nimis crudi & nimis multi & nimis promptus ac familiaris, merito inter novissima Medicinæ novaturientis, præcipuo loco ponitur. Quamvis enim *Theriacæ* atque *Mithridatium* antiqua etiam fuerint remedia, minime tamen de ita promiscuo illorum abusu Antiquitas consentit, quin facilius ex historia medica monstrari possit, quod non solum præparatio ejus, sed etiam exhibitio, non nisi primoribus viris usitata, & ut credibile est concessa atque permissa fuerit. At novum omnino est hodie plane contrarium fieri, & usum atque distributionem Opii, jam in frivolorum quorumlibet hominum quotidianos abusus temerè traditum esse.

§. LIII. Unde quidem novissimis his temporibus nihil minus novum est, quam exemplis propemodum quotidianis experiri, quomodo homines neque rationis, neque veræ morborum historiæ & indolis, quô quô modô periti, sed illotis manibus, aut ab alienis studiis, quibus impares fuerant & indociles, ad Medicinam prolapsi, jam temerariis corporis & Naturæ exagitationibus, irritando, graviter commovendo, vehementer fatigando, atque debilitando, patientes pessundent, jam ex adverso, sopiendo, cohibendo, inebriendo, stupefaciendo

endo, Naturas attonitas reddant, & in oblivionem sui, rerumque suarum adducant, unde aliae, & illae quidem adhuc minus sublevandæ atque reparandæ debilitations: in acutis virium dejectio, justorum præsidiorum trepida oblivious, deliria, soporosi exitus: in chronicis, jam tumores, aut stupores paralytodes: jam contumacia obstinatissima; in primis quando post iteratum hujus remedii abusum, Naturæ tandem & illud, & tanto magis alia medicamenta pertinacissimè adspernatur.

§. LIV. In novorum medicamentorum censu non potest fieri, ut prætereamus medicamenta varia è novis mundis ad nos advecta. Non fert nostra intentio, ut etiam, sincere potestatis sumus, species talium quarumlibet rerum prosequi: Interim illa, quæ generaliore quoddam, non tam usu, quam abusu prævalescunt, merentur etiam alio respectu generis seu universalitatis, notari. Meritò certè hoc nomine taxatur illud, in omni genere Monopolarum, inventum, quod proinde *pulverem Jesuitarum* olim appellabant, *cortex Quinquine*. Quanta fuerit hujus corticis consumptio, quin hodieq; hic inde adhuc fiat, & quanta per hanc viam pecunia emungi contigerit Europæos, tolerabilis fortassis esset cogitare: sed merito gravius offendit, quod Medico effectu longe peiores successus & eventus in gentem humanam inde pullulaverint, & indies fœcundo proventu quam maxime pullulent. Cum nuper per aliquot menses Londini agens curiositatis causa *designationes mortuorum hebdomadarias*, vulgo *the Bills of Mortality*, inspicrem, non sine causa miratus sum, quod tantus hominum numerus tabe, of the consumption, neque minor Hydrope, dropie moriatur. Quamvis autem tabis nomine, etiam ab alia lue profectas consumptiones honorari non negsciam, & insuper non dissimulanter reliquæ tabis culpam in fumum carbonum fossilem conjici, tamen cum hic fu-

mus etiam jam à longiori tempore quotidianus fuerit, citra tantam tabis familiaritatem, vix confido luculento jure illi directe causam hujus communis morbi tribui posse: at vero semel subnati hujus affectus exacerbationem & promptiorum progressum illi simul tribuere, minime adversor.

§. LV. Ita etiam Listerus suo tempore, ante annos satis paucos, provocat ad easdem rationes publicas mortuorum hebdomatim edi solitas, in quibus Hydropem præ ceteris morbis præcipuam stragem edere, legi posse asseverat. Quamvis autem *corticis Quinquinae*, seu *Peruviani*, efficaciam ad febres intermitentes cito & tuto curandas, & nominatim sine metu hydropis alicujus supervenientis, laudet atque prædicet, & ex adverso, longè certioris efficaciæ notâ afficiat familiarem abusum spirituū ardentium: tamen cum abusus hic alibi locorum, ut in primis in Polonia & Russia, impari prorsus prodigalitate ac ingluvie, in usum trahi consueverit, sine tam immodico hydropis in specie successu: ex adverso vero etiam alibi passim, minus consideratum atque immoderatum usum *Quinquinae*, apud *aridiores Hæcica* sequatur, apud *habitiores Hydrops*, (sicut etiam ipse, inter morbos juxta cum *Hydrope*, maxime omnium populares, phthisin & luem venereum commemorat) ita imposuisse, puto Viro Optimo, quod morbi hi non æque apud omnes pari præcipiti impetu emergant, mox post inauspicatus *Quinquinae* abusum. Qui vero annuas, imo ampliores hypochondriacas angustias, anxietates, tensiones, pressiones, flatulentias, alvi inconstantiam, familiarem tamen defectum, appetitus concoctionis atq; digestionis varia conspicua vicia, magis magisque sensibiliter post hos abusus coorientia & insolefcentia; tandem in *Hydropem* (in *hæcicam* enim vere brevior fit transitus) migrare animadverterit, habebit, puto, quo culpam hujus medicamenti evidentiorem melius

lius agnoscat, quam ut hujusmodi excusationibus assentiatur.

§. LVI. Non placet ad talia specialiora præter constans nostrum institutum, progredi ac diffundi. Optamus certe, ut ē novis illis medicamentis saltem pauciora illā laude digna sint, quæ ipsis assignatur: sed sperare haec tenus, nondum integrum putamus.

§ LVII. Ultimo loco breviter mentionem facere necesse est *remediorum universalium*, quas vulgo *Panaceas* vocant. Has quidem novum aliquid esse nemo dubitare potest, qui perspectum habet, quod Antiqui potius omnia sua evacuationibus tentare cordi habuerint, quam alterationibus, ad quarum classem *Panacea* hæ vulgo directe referri consueverunt. At vero *novum* esse etiam *borum effectum*, adeo notissimum est, ut certe inauditam adhuc putemus hanc illorum efficaciam, qualis ipsis, vulgatis illis pollicitationibus, adscribitur.

§. LVIII. Enimvero dolendum est, quod aliqua recentius inventa, peculiaribus quibusdam non contemnendis effectibus non defraudanda, in conditâ tali universalitatis imputatione, de honestentur, ut etiam illi particulares insigniores effectus, quibus revera paria esse possint, interim oblitterentur; ne videlicet laudem illorum ad pauciora, quasi restringendo, de universalitatis opinione ipsis aliquid detrahatur.

§. LIX. Sicut autem ad ejusmodi *novarum rerum* etiam in Medicina, *proventum* æque atque *sustentationem*, *præcipuum* utique *momentum* confert, illud non ita novum: MUNDUS VULT DECIPI: ita nos quidem tam illi nihil obstatimus, quo minus se digna experiatur; quam etiam iis, qui hujus ministerio addicti sunt, nihil neque suadere laborabimus, neque persuadere: interim quod alia sit consideratio, atque ratio artis salutaris, ejusque veritatis in se, &

in verum usum humani generis, instaurandarum, quilibet utique, qui has res condigne æstimare meminerit, facile intelliget.

§. LX. Unde nos quidem tum allegatarum a nobis generaliorum, tum sub illarum complexu comprehensarum variarum specialiorum novitatum, ante omnia optamus atq; sva- demus dignum, & solidum magis, quam solitum scrutinium, observationes solertes, investigationes & annotationes ef- fectuū evidenter directorum, præ ambiguis, perpetuorum præ rarissimis, & undiquaq; verorum præfictiis, & annota- tionem industriam, & repetitionem ac ulteriore experientiam peritam, imprimis citra quæstus atque ja^ctantiæ interventum, quæ omnia bona proposita turpiter in trans- versum rapiunt.

§. LXI. Quis autem vivet, cum ista evenient? Inter- rim cuius nunquam fit initium, absurdè expectatur finis. Docet certe placida observatio, quod si vel maxime major turba viam magis popularem feligere atque sequi malit, non desint tamen, nec illi etiam paucissimi, qui, velut in suos ad minimum usus, cordi habeant, attendere ac perpendere, quæ meliora sint atque firmiora, præ infidis illis atque flu- xis, nec unquam sibi constantibus ausibus. Unde nos quidem hic subsistimus, DEO T. O. M. debitam laudem tribuentes, quod nobis clementissime adesse dignatus sit, eumque humillime implorantes, ut ex his etiam nostris considerationibus, utilitas aliqua in doctrinam Medi- cam redundet.

S. D. G.

